

45  
42

EXAMEN THEORIÆ  
CELEBERRIMI A GOETHE  
DE COLORIBUS PHYSIOLOGICIS,

---

QUOD,  
CONSENTIENTE AMPLISSIMA AD UNIVERSITATEM ABOËNS.  
FACULT. PHILOS.,

PRÆSIDE  
M. GUST. GABR. HÄLLSTRÖM,  
*Ordin. Imper. de S:to Wladim. in quarta classe Equite,*  
*Physices Prof. Publ. Ordin.,*  
*Reg. Acad. Scient. Stockholm. Membro,*

PRO GRADU PHILOSOPHICO  
P. P.  
CHRIST. RUDOLPHUS HJERTMAN,  
*Ostrobothniensis.*

in Auditorio Philos. die 5 Maii 1819;  
horis a. m. solit.

PARS I.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

IN SACRAM IMPERIALEM MAJESTATEM

MAGNÆ FIDEI VIRO,

IMPERIALIUM, SUPREMI DICASTERII CONSILIARIO,

ET PRO REGENDA FENNIA SENATUS MEMBRO,

JUDICI SATICUNDIÆ INFERIORIS TERRITORIALI,

SOCIETATIS IMP. OECONOM. FENNICÆ H. T. PRÆSIDI,

AMPLISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO DOMINO

ANDREÆ HENRICO FALCK,

PROPENSISSIMO PATRONO AC FAUTORI,

*mente gratisima jugiterque colente sacras voluit, debuit  
has pagellas*

AMPLISSIMI ET ÆSTUMATISSIMI NOMINIS

cultor devotissimus humillimusque  
CHRIST. RUDOLPHUS HJERTMAN.



Theoriam colorum, quibus sese variorum corporum superficies organis nostris visus manifestant, omni ævo, quo circa res physicas cognoscendas motæ sunt quæstiones, ingenia Physicorum tentasse, multifariæ ad intelligenda colorum phænomena huc illuc prolatæ explicationes commonstrant. Neque illud mirum videbitur ei, qui perpenderit, multa in hac indaganda re esse consideranda ex indole lucis, corporum, oculorum atque sensorii pendentia momenta. Ut enim horum alia sunt magis præ ceteris quasi palmaria æstimata, ita diversa quoque orta sunt explicationum systemata, quibus vel diutius adhæserunt alii, vel quæ citius deseruerunt, prout illa magis vel minus ingeniosa esse judicarunt, aut quoque prout vel fama auctoris capti fuere fortius, vel auctoritatem adhuc dubiam, personas quam ipsam rem magis respicientes, nullos mereri putarunt asseclas. Ne tamen sagacissimorum quidem naturæ scrutatorum labores intactos reliquit omnia manu imparca infestandi cupiditas, quæ etiamsi speciem quandam sinceri veritatis indagandæ studii non raro mentita fuerit, veram tandem suam vulgo prodidit indolem. Convenit

A

nit

nit nempe observasse, vanitati humanæ magnam partem esse tribuendum, quod, nomen aliquod atque famam promotoris scientiarum physicarum assestantes variū, ad illud vero negotium a genere studiorum suorum minime vocati, viros inventorum fama maxime celebrandos atque ingenii ad phænomena explicanda fertilitate inclytissimos magna saepe affectuum atque verborum acerbitate sint aggressi, sua a fictitiis opinionibus & imaginationis fervidæ lusu profecta commenta maturo rerum atque sobrio ipsarum scrutamini substituentes, utut ejusdem rei vestigia in historia quoque hodierna doctrinæ de coloribus paslim occurunt. Sic orbi non ita pridem innotuit eruditio, theoriam colorum Newtonianam, postquam seculi mox præterlapsi sustinuerat examen atque censuram, ab inclytissimo Germaniae Poëta a Goethe (\*) non in dubium solum esse vocatam, verum etiam, uti, ex ejus judicio, omni carentem pretio, penitus rejectam, quam deinde asseclæ quidam illius, sub ægidio talis sui Præsulis tuti sese reputantes, acerrimis vexarunt scommatum & sophismatum telis, quibus tamen indubio prodiderunt indicio, se ne primos quidem ingressos esse limites scientiæ naturalis, fictiarum similitudinum argutiis numquam promotæ vel promovendæ.

Etiamsi externam harum rixarum formam, ideo certe cognitu utilem, quod ostendat, auctores, ab ipso re ad verba attentionem lectoris avertere conatos, iis saepius rationibus, quæ vero naturæ scrutatori persuadent, destitutos fuisse, minime potuerint æqui illarum aestimatores approbare; promoveri iis tamen ipsam scientiam confitebuntur, quatenus vel animadversores ipsi aliquid novi producere valuerint, vel defensores occasionem nauci fuerint atque stimulum antea cognita exactius exa-

examinandi, quædam forte corrigendi, vel saltem rei magis convenienter definiendi, novisque argumentis totum confirmandi systema. Hoc respectu theoriam colorum Goetheanam haud parum utilitatis scientiæ protulisse constat, rite nempe explicatis iis, quæcumque accuratius eorum examen ulterius exponenda censuit.

Varia in primo jam sui systematis limine (\*) proponit a Goethe de coloribus, quos physiologicos appellat, quibus, ut fundatum totius theoriæ colorum constituentibus, eximum in compage sua condenda momentum tribuit. Versatur nempe quæstio in quibusdam examinandis phænomenis colorum, quos subjectivos potius quam objectivos, utpote ipsi oculo sano vel plane vel ad maximam partem quasi proprios & necessarios, atque illius naturæ potius quam affectioni objectorum externorum vel luminis adscribendos considerat, & quidem eosdem hoc referendos esse monet colores, qui antiquioribus sub nomine *adventitorum*, *imaginariorum*, *phantastico-rum* (\*\*) seu *accidentalium* dudum venerunt, ad quam classem ea quoque defert, quæ de umbris coloratis & halonibus proposuerunt Phylici. Hæc omnia, in quibus oppositionis cuiusdam spontaneæ phænomena ubique observanda esse censet, ad colorum apparitionem adeo esse statuit essentialia, ut, proposito uno oppositionis momento, alterum, illi reciprocum, ab ipsa oculi mox producatur natura, quare tales sibi reciprocos colores a se invicem *requisitos* nominat. Quo vero innotescat, quibus conditionibus, quove ordine, hi colores requisiti ab aliis

A 2

(\*) Cfr. *Zur Farbenlehre von Goethe*. Tübingen b, Cotta 1810.

(\*\*) L. c. pag. I &c.

(\*\*) Inter colores tamen physicos, a physiologicis probe distinguendos, numerat quoque phantasticos (p. 52)

aliis eos requirentibus conspectui sese sistant, variam observare docet experientiam, quæ quidem, primo saltem intuitu, inde deductis conclusionibus favere videtur.

Nil mirabimur, si speciem hujusce systematis fallaci sua elegantia multos sibi devinxisse animadvertemus asfelas, qui, oraculo illo, a quibusdam implicite edi, ab aliis aperte pronunciari solito: *so ist es, also ist es so!* capti, in scrutamine quoque naturæ audacter dictis credere, quam rationes atque demonstrationes modeste examinare commodius putarunt. Ne vero detrimenti quid talis scientiam seriam tractandi methodus afferat, necessarium videbitur ostendere, hæc omnia ejus esse indolis, quæ, severiori examini subiecta, atque a latioris experientiæ face collustrata, clare commonstrent, ea ad evertendam theoriam colorum Newtonianam a Goethe sic prolatam, cum laudata hac theoria amicissime convenire; quod quidem ulterius examen, etiam si veris scientiæ cultoribus nil novi offerat, eo minus tamen videbitur susceptu supervacaneum, cum in disquisitione quoque sua Cel. Pfaff<sup>(\*)</sup>, varios errores Goetheanos summo jure reprehendens, nullas non tantum aferat in theoriam nominatorum colorum physiologicorum animadversiones, verum potius Caput illud primum Goetheani libri, quod hanc complectitur theoriam, ob stili præcipue præstantiam & elegantiam, magna cum voluptate, quasi nihil ibi occurreret in ipsa re corrigendum, approbare videatur<sup>(\*\*)</sup>. Occasionem igitur naturi nostras circa has res afferendi observationes, ipsam experientiam Goetheanam ordine, quo eam leatu proposuit, recensebimus sequente.

I. Ocu-

(\*) *Ueber Newtons Farbentheorie, von Goethes Farbenlehre, und den chemischen Gegenjatz der Farben; von C. H. Pfaff.* Leipzig 1813. 8:vo.

(\*\*) L. c. proœm. p. XI,

I. Oculus a quiete & tenebris ad videndum nuper dispositus acriori inservit visui, nimia vero luce fatigatus hebetem se sifit in objectis parciore illuminatis luce distinguendis; unde id evenire experimur, ut in illo casu, si subito & magna cum lucis diversitate incidit, dolorem patiatur oculus, in hoc vero mox vel nihil vel parum videat.

Si quidem negari nequit, diverso modo ita affici posse retinam oculi, ut quæ interdum satis vivide distinguere valet objecta, alia occasione vel vix videat, vel etiam nimio prædicta splendore animadvertiscat; omnia tamen quæ huc pertinent phænomena a diversa hac constitutione retinæ non esse explicanda patet. Est nempe simul consideranda variabilis amplitudo aperturæ oculi, pupillæ, quæ, major, uberiori vel sæpe nimiae lucis copiæ ingressum permittit, unde acrior visus vel sæpe dolor fentitur, minor vero sufficienti lumini colligendo non est par, unde defectus lucis in videndo animadvertiscat.

Ambo igitur hæc momenta simul sunt sæpe consideranda, quo hæ affectiones oculi plane intelligantur. Observetur tamen, nec variationi pupillæ, neque etiam, ut vult a Goethe, diversæ post quietem & laborem vi sentiendi ipsius retinæ attribuendum esse, quod acrius videat interdum oculus spatium arctioribus circumscriptum limitibus, cuius imago retinæ partem minorem occupat, hebetius vero spatium amplius, cuius imago totam afficit retinam. Verum quidem est, spatium parietis albi, vel cuiuscunque alijs præter nigrum coloris, quod uno oculo per tubum, e materia opaca constructum, adspicitur, lucidius apparere, quam reliquam hujusce superficie partem altero visam oculo; quod experimentum æque succedit quantacunque celeritate, ne tempus dilatationi vel contractioni pupillæ sufficiat, tubus ab uno oculo ad alterum moveatur. Pendet namque hoc phænomenon totum quantum

Conf. Smith  
Edinburgh Philo  
Jurnal, Vol. III.  
pag. 92 &c.

tum a coloribus parietis visi atque tubi superficii interioris inter se comparatis.

Fiat scilicet, quo illud experiamur, BC (Fig. 1.) paries grisei coloris; pars illius AB, ab oculo M per tubum opacum EFGH intus nigrum visa, grisea ut antea, reliqua vero pars AC, ab oculo N extra tubum posito simul conspecta, nigrefcente-grisea apparet. Sumto vero alio tubo, vel dia-phano, ex. gr. vitro-albescente, vel intus albo, & ita ante oculum posito, ut illius superficies interior a luce inter M & F intrante collustretur; mox in albescente-griseum mutatur paries AC, grisea manente parte AB. Priori igitur casu pars AB, posteriori vero pars AC, lucidior reliqua apparet. Utrumque autem phænomenon sic esse explicandum patet: In retina oculi M picta oritur imago partis AB grisea, atque simili-  
ter in oculi N retina imago partis AC ejusdem quoque colo-  
ris. Simul vero imaginis memoratae partis AB proxima erit imago parietis EH tubi opaci non illuminati atque propterea nigri, qui quidem paries ad AC projectus ab oculo conspicitur, ita ut oculus M in sua habeat retina imaginem griseam partis AB, atque nigram partis AC. Relato igitur ad senso-  
rium simultaneo effectu imaginis hujuscemodum oculi M atque imaginis griseae oculi N, medius quidam inter ambos seu ni-  
grefcente-griseus ex hilce mixtus, apparebit in AC color. Contra vero, si pallescente-pellucidus est tubus EFGH, vel etiam si intus potest conspicere albus, referet oculus M imagi-  
nem albam parietis EH ad AC projectam, quasi superficiem AC albam videret, oculus vero N griseam partis AC, a quibus duabus simultaneis in retinis imaginibus affectus orietur in sensorio mixtus, color scilicet albescente-griseus.

Hujus explicationis veritas sequenti quoque experimento, parva adhibita variatione apparatus, confirmari videtur. Po-  
natur

natur in L candela lucens, atque absindatur tubi opaci, in-  
tus albi, pars HD, quo pars GK illuminata lucem reflestat  
ad DE, quæ hac ratione oculo M alba apparet. Tum quidem  
superficiei griseæ pars AC albescere mox videtur; ita vero  
circa axin suum revoluto eodem hoc tubo, ut pars absisa in  
GK sit sita, ubi orificium K a parte prominente DH quoad  
lumen a L emissum obtegitur, apparet tubus ille intus niger,  
atque spatium AC nigrefcente-griseum conspicitur. Si igitur  
de colore spatii AB cum colore spatii AC comparato est quæ-  
stio, apparebit illud vel albescens vel nigrescens, prout inte-  
rior pars tubi vel nigra conspicitur vel alba.

Hinc perspicuum erit, conclusionem fundamentalem, quam  
huncesse jam primis stabilire conatur a Goethe experimentis, mi-  
nui scilicet subito a luce agente sensibilitatem retainæ oculi  
quoque fani, dein vero mox, sine mora, intendi diminuta  
luminis vi, a phænomenis descriptis nullo posse jure deduci.  
Neque illud argumento erit talis occultæ nec satis clare per-  
ceptæ qualitatis, quod objectum, luminis parum emittens, in  
vicinio alterius magna claritate splendentis vix valeat oculus  
distinguere. Est enim hoc phænomenon analogum cuivis no-  
stræ sensationi physiologicæ, immo psychicæ: sonum debilem  
in magno vocum strepitu non valemus percipere, et si nullus  
dicat organum auditus habetius suisce hoc strepitu redditum;  
dolorem membra alicuius remisum sentiri docet experientia,  
quando membrum aliud sanum pungendo affligimus; immo  
malum morale interdum minori animum angit vi, nova alia  
premente ærurnna.

II. Objectum obscurum alio ejusdem magnitudinis lucido  
minus apparet. Ita circulus albus in superficie nigra pictus,  
quando illum e longiore conspicimus distantia, quinta sui parte  
major videtur, niger vero circulus in superficie alba æque minor.  
Com-

Commemorat hic a Goethe experientiam, cuius rationem a majore sensibilitate & vi imagines percipiendi illius partis retinae, quæ parciore objecti obscuri luce afficitur, deducit, quæ vero a Scriptoribus opticis perspicacius multo & naturæ rei convenientius dudum jam est explicata. Nisi igitur ascelis, in verba Magistri jurantibus, qui taciturnitatem consensum putant, de hac re quid dicendum videretur, illam quidem uti notissimam omitteremus; sufficiente vero pauca tantum attulisse.

Ante omnia circa hoc phænomenon est observandum, ilud non in quacunque, etiamsi longiore, ut monet a Goethe, objecti ab oculo distantia apparere, minime scilicet in distantia visionis distinctæ, qualiscunque illa sit, si vel nudo utimur oculo vel armato, sed tantum spectaculo fere sistere oculo ab objecto extra hanc distantiam aut magis remoto aut ei nimis propinquo, quo nempe distincti non videantur fines illius, unde quidem mox appetet, explicationem Gœtheanam naturæ rei non esse consentaneam. Derivandum scilicet est phænomenon hoc a sola confusione imaginis in retina oculi, atque illius ad judicium nostrum determinandum effectu.

Sit namque AB (Fig. 2.) objectum, CD apertura oculi cum partibus hujuscce radios lucis ADF, ACH atque ACE, BDG a recta via frangentibus, MN vero locus concursus rædiorum. Si jam talis est constitutio oculi & ea objecti distantia, ut retina illius in MN habeatur, distincta ibidem erit objecti imago, ut & visus distinctus, magnitudoque objecti visa justo nec major nec minor, qualemcumque objectum referat colorem. Remoto vero objecto in majorem ab oculo distantiam, quo efficitur, ut a retina, quæ jam sit in GH, versus CD procedat MN, perspicue appetet, radios lucis, in MN conjunctos, ita in retinam usque ad GH diffundi, ut cum KL imaginis

— 9 —

imaginis eset vera atque ab angulo optico AOB dependens magnitudo, termini illius intra F,G atque E,G non nisi confusi distinguantur. Similiter spatiorum objecto BA confinium BP & AQ imago definita eset in RL & SK, termini vero illius a G usque ad E, atque a H usque ad F, sese exten-tes confusi apparebunt, ita ut pars quædam imaginis tam spa-tii PB quam spatii AB simul occupet spatium EG, atque si-militer imaginis spatii QA & BA pars quædam spatium FH, ubi illius objecti necesario eminent color, quod clariore splen-det luce. Si igitur spatium AB splendens supponitur, atque spatia circumdantia BP & QA obscura, splendor quidam ima-ginis KL usque ad H & G, etiam si ab F & E diminuendo, sese extendit & sentitur, unde objectum visum in ratione KL ad HG auctum apparebit. Contrarium accidit si objectum AB est obscurum, spatia vero QA & PB splendentia sumuntur. Tum scilicet imaginum SK & RL splendor in HF & GE ita emi-net, ut versus F & E extensæ sentiantur hæ imagines, unde evenit, ut objecti AB imago obscura KL ad FE diminuta conspiaciatur, idque in ratione KL : FE. Pendet vero ratio KL : HG, uti etiam KL : FE, a distantia ME vel NF, quæ a distantia objecti AO vel EO atque constitutione oculi, vi nempe radios lucis frangendi, determinatur; quare rationes allatae pro quavis diversa objecti distantia, atque diverso oculo, maxime erunt diversæ, non vero constanter ut 5 : 6 vel 6 : 5.

Simile omnino, ex simili ratione, apparebit phæno-menon, si oculo nimis propinquum ponitur objectum, quo lo-cus, ubi concurrere possunt radii, pone retinam R'S' situs fit; accidit enim, ut quo major in R'S' sit, ob nimis parvam objecti distantiam, confusio imaginis, eo etiam magis prominere appareat clarior imago,

Hæc




Fig. 1.




Fig. 2.

Hæc omnia, quæ ex natura rei sponte omnino & lege  
necessitatis fluunt, nullam adesse ostendunt rationem, quæ  
ad fictas & confuse tantum intellectas oculi facultates suppo-  
nendas cogat.